

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXXI

urn:nbn:de:bsz:31-97032

gracili instructus , alitur tote , melle & florum succis . Octobri mense , inquit *Lycostenes ex Cardano* , uno pede annixus ramusculo , hæret usque ad Aprilem , loco testo , atque ita mortuus veluti jacet : Cum redeunt flores reviviscit , atque ea de causa passerem resuscitatum vocant . Hæc priusquam fabulosa pronuncies , lector , quid de ursis , gliribus , muscis & aliis experientia ipsa dicter , considera .

CAPUT XXXI.

DE PERDICE.

INea orbis parte , cui continens nomen , *Perdices* sunt duplici pulpa , tam conspicua , ut discernatur , tante molis , ut ne maximo quidem Comedone una mensa una possit absundi . *Gonsal. Oviedus* . Testes eam in venere insigni augentur magnitudine ; nulli hyeme apparent . *Ariß. lib. 3. hisp. c. 21.* Salacitas illis tanta , ut , cum desunt foeminae , inter se & cum pullis coëant , cum adsunt , vento à maribus delato , quin voce & superno volatu impleantur . *Plin. l. 10. c. 33.* *Ariß. l. 5. c. 5.* Fætificus autem spiritus id facere existimatur , quem Ephesius vapore interpretatur , qui defert calorem elevatum à genitali semine matris , qui- que susceptus per meatus perdicis , penetrat ad menstruum illius . Pulli illarum moræ impatientes , antequam ova aperiantur , sponte èrumpunt , pertusisque ovis , ubi caput primum exeruerint , pedesque protule- rint , reliquo adhærente corpore procurunt , & sibi cibum quærunt . Docilitatem earum *Odoricus de Foro Iulii* ostendit , dum inquit : In regionibus circa Trape- zuntem quæ Pontus olim dicebatur , vidi hominem ducentum secum supra quatuor millia perdicum . Is iter faciebat per terram , perdices per aerem volabant , quas ducebatur ad quoddam castrum nomine *Thanega* , quod à Trapezunte distat trium dierum itinere . Ha perdices , cum Duci ipsarum homini quiescere aut dormire libebat , omnes

quiescebat circa eum , tanquam pulli gallinarum . Cum vero sic quiescebat , capiebat de illis quantum volebat numerum , reliquas ad locum , in quo prius erant , reduebat .

C A P U T X X X I I . D E S T R U T H I O C A M E L O .

STruthiocamelo caput est anserinum patrum , plumis haud coopertum , pedes bisulci . *Arist. 4. hist.* Propter corporis molem à terra non elevatur ; festinatissime tamen interdum incedit , ingruente in alas vento & tanquam vela eas extendente . Certè equitem e quo incidentem superat . Carpophagus est . Ossa in breves partes truncata , & lapides avide devorat , sed expuit ; immo & frusta ferri . Quomodo enim illa concoquat , cum nec Leo majoris caloris concoquere possit ? Nidum ex sáculo humilem & concavum extruit , & contra pluvias munit . Octoginta amplius ova excludit : sed non uno eodemque tempore ex omnibus pulli nascuntur , suntque ova maxima ; utpote capitis infantis magnitudine , plus minus quindecim libras pendentia , durissima , & quasi lapidea crusta munita . Ex illis Solis calore pulli nascuntur . Quidam , quia intueri ea avem viderunt , visu excludere putarunt . Mirra vero ejus stoliditas ; cum collum frutice occultavit , latere se putat .

C A P U T X X X I I I . D E S C Y T H I C A A V E , & T I N N U N C U L O .

DE Scythica ave ita scribit Aristoteles . Scythia teræ incola est avis magnitudine Otidis seu Tardæ avis , quæ duos procreat pullos , & quæ peperit ova non incubâtu fovet , sed condita in leporina aut vulpina pelle relinquit , atque ita obvoluta , in summa arbore